Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Sect. 5. De Crimine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

Visual Library

n. 13 quod tamen ex prædictis refutari poteſt. nec huic diſputationi parum utili longius immoror, cùm conditio & brevitas vitæ humanæ ſine miraculo vix admittat videre deſcendentes in quinto gradu, &c.

De diſpenſatione aut tam ſuper hoc impedimento cognationis quàm alijs, inferius *ſect* 13. dicemus, ubi etiam, quo jure divinóne an humano ſingula impedimenta, & cur aliqui gradus conſanguinitatis & affinitatis ultra prohibitionem juris naturalis ſtatuantur.

Sectio V.
De Crimine.

Summaria.

1. *Quid nomine criminis intelligatur?*
2. *Sola promiſſio non conſtituit impedimentum.*
3. *Quando & quæ machinatio conſtituat impedimentum?*
4. *Machinatio debet habuiſſe effectum.*
5. *Occiſio tam viri quàm fœminæ cauſat impedimentum.*
6. *Homicidium factum non causâ matrimonij non cauſat impedimentum.*
7. *Adulterium & promiſſio diverſo etiam tempore facta cauſant impedimentum.*
8. *Soluta ignorans complicem eſſe uxoratum acceptans promiſſionem non contrahit impedimentum.*
9. *Qualis debeat eſſe promiſſio, ut cauſet impedimentum.*

Cri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

1 CRimen hoc loco intelligitur *adulterij* & *homicidij*.

Dicendum ergò, quòd ſolùm adulterium per ſe quidem non ſit impedimentum impediens matrimonij, ſi tamen unà cum adulterio concurrat matrimonij promiſſio, ubi legitimus mortuus fuerit, & multò magis ſi de facto per verba de præſenti matrimonium attentetur, vel machinatio in mortem legitimi conjugis interveniat, ſtatim inſurget impedimentum criminis, & nunquam inter tales adulteros matrimonium eſſe poterit, *c. ſuper. c. ſignificâſti. c. cùm haberet. & paſſim de eo, qui duxit, quàm polluit per adult.* quod ad excludendum votum captandæ mortis ita ſtatutum eſt, ne, ſi talia matrimonia tolerentur, frequenter adulteri in vitam inſontis conjugis inſidias ſternerent. Nunc autem

2 *Quæritur I.* An ſola *promiſſio* ſine *adulterio* conſtituat impedimentum dirimens, ſi v. g uxor promittat alicui matrimonium, poſtquam maritus mortuus fuerit? ℞. Negativè, quamvis enim etiam ſola promiſſio poſſit inducere votum captandæ mortis, tamen impedimenta matrimonij tanquam odioſa, potius reſtringenda ſunt, quàm ultra caſus in jure expreſſos extendenda, & majus eſt ſemper periculum, ſi promiſſio conjungatur adulterio, quàm ſi ſit ſola, cùm homines libidine excæcati majora facinora temerè audere ſoleant. pro hac concluſione textus eſt ſatis clarus *in c. ultim. eod.* Attamen talis promiſſio licèt non irritet matrimonium ex poſt facto

facto per novum conſenſum contractum, ex ſe tamen non eſt obligatoria, neque vim ſponſalium habet, quia conſtante matrimonio de alio paciſci turpe pactum reputatur, & aliquam ſaltem occaſionem captandæ mortis præbet, prout in ſimili de Jure civili pactum ſuper viventis hereditate *plenum triſtiſſimi eventûs*, & propterea invalidum dicitur. *L. ult. C. de pactis.*

Quæritur II. An ſola machinatio in mortem conjugis abſque adulterio cauſet nullitatem matrimonij? Inter diverſas DD. opiniones illa videtur probabilior, quòd machinatio unius ex deſponſatis non cauſet impedimentum, niſi conjuncta fuerit cum adulterio, ſecus autem, ſi uterque conſilio, auxilio, conſenſu aut conſpiratione ad mortem conjugis innocentis concurrerit, ita non obſcurè colligitur ex *c.* 1. *de converſione infidelium.* ubi propter hoc ſolum quòd mulier cum alio viro ſoluto conſpiraverit in mortē ſui mariti, diſſolvitur inter ipſos conjugium, nullâ factâ mentione adulterij, quare reliqui textus, qui de ſola machinatione loquuntur, de conjuncto adulterio explicandi ſunt, ut ultra caſus clarè in jure expreſſos non fiat impedimentorum extenſio. *Panorm. & Barb. in d. c.* 1. *de converſ. infidel.* 3

Quæritur III. An requiratur, ut machinatio habuerit effectum, & conjux occiſus ſit? ℞. affirmativè, quia in materia pœnali & odioſa verba ſtrictè & cum effectu accipienda ſunt, deducitur *ex c. ſi quis viventis. cauſ.* 31. *q.* 1. ubi di- 4

citur

citur cum adultera contrahi poſſe matrimonium, niſi fortè vir aut mulier priorem maritum, qui mortuus fuerat, *occidiſſe* notetur.

5 *Quæritur IV.* An ſit verum, quòd impedimentum criminis tantùm ex occiſione uxoris naſcatur, écontra de caſu, quo uxor mariti mortem procurat, nihil in jure diſpoſitum ſit, adeóque nec ad eum tanquam rarius contingentem extendendum juxta *L. nam ad ea. ff. de legibus.* Sicut docent Victor, Ledeſma, Henriquez apud Gutirez *de matrim. q.* 105. *n.* 10. ℞. Nullam inter viri & uxoris occiſionem faciendam eſſe differentiam, ita apertè convincitur ex *c.* 1. *de converſ. infid. & in d. c. ſi quis vivente, cauſ.* 31. *q.* 1. quæ capitula de occiſione uxoris loquuntur.

6 *Quæritur V.* An oriatur impedimentum, ſi homicidium cum adulterio quidem concurrat, ſed factum ſit ex alia cauſa, quàm intentione ineundi matrimonij, v. g. ex rixa orta & ob injuriam illatam. ℞. Non oriri in tali caſu impedimentum probabilius videtur, quia ratio prohibitiva legis non ſubeſt in omni homicidio, ſed tantùm in illo, quod intentione matrimonij committitur, ne ſcilicet adulterij ſpe matrimonij illecti frequenter in vitam innocentis conjugis inſidientur. *Sanch. lib.* 7. *diſp.* 18. *n.* 13.

7 *Quæritur VI.* An ad conſtituendum impedimentum *criminis* requiratur, ut ſimul & ſemel concurrat promiſſio & adulterium? ℞. Sufficere, ſi utrumque ſit factum conſtante matrimonio

monio priori, ſive deinde acciderit eodem tempore promiſſio & adulterium, ſive diverſo, ut ſatis colligitur *ex c. ult. de eo, qui duxit &c.* in illis verbis: *Cæterùm tolerari non debet, ſi prius vel poſtea, cùm vixerit uxor ipſius, illam adulterio polluerit.*

Quæritur VII. Quid juris, ſi fæmina ſoluta 8
peccet cum conjugato, ignorans eum eſſe conjugatum, ex poſt facto autem, cùm jam de hoc eſt certiorata, promiſſionem acceptet, vel de facto contrahat matrimonium? ℞. tali caſu valdè probabiliter dici poſſe, nullum ſubeſſe impedimentum, quia illa copula ex parte fæminæ ob ignorantiam ſtatus conjugalis in altero non fuit formale adulterium, neque etiam adulterorum pænam meretur, conſequenter nec iſtam, quæ à jure tantùm adulterio cum promiſſione matrimonij conjuncto infligitur. *Barb. in c. 1. De eo qui duxit. num. 2.*

Quæritur VIII. Qualis debeat eſſe promiſ- 9
ſio, quæ concurrens cum adulterio conſtituat impedimentum, an debeat habere connexam repromiſſionem, vel an ſufficiat alterius partis promiſſio, acceptatio vel taciturnitas, quid ſi fictâ tantùm cum intentione alteram partem ad peccatum inducendi? ℞. 1. Requiri promiſſionem, quæ habeat obligationem determinatam ineundi matrimonium cum adulterâ: adeóque non ſufficere, ſi v. g. adulter dicat, *niſi eſſem uxoratus, te ducerem*, &c. quia talia verba necdum continent actualem promiſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſionem, ſed intentionem tantùm & propoſitum. Item & illa verba probabiliter excuſari poſſunt ab impedimento, ſi adulter dicat: *mortuâ uxore nullam aliam ducam niſi te.* Cùm ita promittens non præcisè ſe obliget ad matrimonium, quin poſſit ab eo abſtinere, ut ſuperius de ſponſal. traditum. Non tamen requiritur, ut promiſſio ſit juramento firmata, ſicut latè probat Sanch, *lib. 7. diſput. 79. num. 29.* contra quosdam contrarium ſentientes.

℞. 2. Quamvis ſola *promiſſio* ſine *repromiſſione* alterius partis ſufficiat ad conſtituendum impedimentum, ſi cum adulterio concurrat, quia Canones ſolius *promiſſionis* nullibi autem *repromiſſionis* circa hoc impedimentum meminerunt, neceſſe tamen eſt, ut promiſſio ab altera parte per ſignum aliquod externum acceptetur, ſola autem interna acceptatio vel taciturnitas non ſufficit, tum quòd jura non ſoleant actui merè interno pœnam ſtatuere, ſicut dicitur, quòd cogitationis pœnam (in foro externo) nemo patiatur, *c. cogitationis. de pœnitentia. diſt. 1. & L. cogitationis. ff. de pœnis.* tum etiam, quòd tacens in dubio non cenſeatur conſentire in ſui præjudicium: & cùm talis acceptatio ſit illicita, & delictum, non præſumatur, *L. meritò. ff. pro ſocio.*

℞. 3. Etiam fictam promiſſionem ſufficere, dummodò altera pars ſeriò intellexerit, & acceptârit, quia tunc periculum captandæ mortis ſaltem ex parte acceptantis æquè ſubeſt, ac in promiſſione vera.

Demùm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Demùm hic adnotari poteſt, non oriri impedimentum, ſi promiſſio adhuc durante priori matrimonio fuerit mutuo conſenſu remiſſa & diſſoluta, quia tunc perinde eſt, ac ſi nunquam impoſita fuiſſet, &c.

Neque etiam ab infidelibus impedimentum iſtud contrahitur, cùm jure tantùm Eccleſiaſtico ſit ſtatutum, ideóq; matrimonium cum crimine in infidelitate contractum valebit, aut crimen tunc commiſſum non nocebit poſt baptiſmum, quo minùs cum adultera contrahi poſſit: niſi una pars tempore commiſſi criminis fuerit fidelis. *Sanch. lib. 7. diſp. 79. num. 42.*

Utrum autem hoc impedimentum contrahatur etiam ab ignorantibus invincibiliter, colligi poterit ex ijs quæ inferius *ſect.* 11. *n.* 11. dicentur.

Sectio VI.

De Disparitate Cultus.

Summaria.

1. *Ex continuo uſu Eccleſiæ irritum eſt matrimonium fidelis cum infideli.*
2. *Matrimonium Catholici cum hæretica eſt illicitum, non tamen invalidum, & quid in Germania?*
3. *Pacta, ut liberi aliqui in fide hæretica educentur ſunt impia.*
4. *Contrahentes in infidelitate cum impedimento an ſint ſeparandi poſt converſionem amborum?*